EPISTOLAE PLATONICAE ET DIONIS VITA PLUTARCHEA QUO MODO COHAEREANT.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXVI MENSIS AUGUSTI ANNI MDCCCLXXVI
H. XII.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
HERMANNUS STOESSELL
POMERANUS.

ADVERSARII ERUNT:
R. SCHNEIDER, DR. PHIL.
W. BENTZ, DR. PHIL.
J. NIEJAHR, CAND. PHIL.

CUSSALINI
TYPIS C. G. HENDESS
1876.

Inquirenti mihi in fontes Dionis Plutarchei id potissimum mirum visum est, quod ei viri docti, qui de epistolis Platonicis disseruerunt, tam raro ac parce ad hanc vitam respexerunt, cum ei qui accuratius hanc rem perscrutatur nullo modo dubium videri possit, quin ex hac vita aliquid lucis redundare possit ad epistolas illas. Ac vero stabilita est mea sententia dissertatione, quae ipso illo tempore cum inquirerem in hanc rem in lucem prodiit, dico *Bachofii* scriptum elegans atque acutum: „de Dionis Plutarchei fontibus, Gotting. 1874“, in quo eandem quam tum iam conceptam habui sententiam ex parte propositam vidi. Neque minuit interea fiduciam meam, quod vidi eum, qui nuperrime hanc rem tractavit, Hugonem *Müllerum* a Bachofio et me dissentire, cum in dissertatione sua, quae inscribitur: „de fontibus Plutarchi vitam Dionis enarrantis, scr. Hugo Müller, Gryphisw. 1876“ patrocinium susciperet veteris illius sententiae a Bachofio reiectae, secundum quam Plutarchus ipsas ubique Platonis quae feruntur epistolas exscripsit. Immo etsi eum omnino non usum esse ipso eorum volumine minime contendam, tamen nunc quoque ex alio potissimum fonte, qui cum istis quodam modo cohaereret, hausisse eum ita cum Bachofio arbitror, ut de ratione tantum, qua cohaeserit utrumque scriptum, ab huius sententia recedam.

Tria enim sunt, quae Bachofius probare studet: primum ea, quae epistolarum Platonicarum vestigia apud Plutarchum

prae se ferunt, non ex ipsis illis epistolis fluxisse; deinde non solas has Plutarcheae narrationis particulas inde originem duxisse, sed totam primam partem vitae Dionis praeter prooemium (c. 3—22) itemque extremam partem (inde a c. 50); tertium fuisse hunc auctorem eum, qui una ex epistolis Platonicis et Timaei historia sua deprompserit et congesserit. Quibus ex rebus equidem quamvis primae adstipuler, tamen alteram tertiamque falsam esse censeo, itaque de his potissimum nostra erit disputatio. Sed haud inutile videtur causas, qua prima probatur sententia, hic breviter et ita retractare, ut quae Müllerus contra eam protulit accuratius examinemus et quam levia illius argumenta sint ostendamus.

Haec mihi praemittenda esse videntur: omnes illi Dionis loci, qui epistolarum cognationem prae se ferunt (quos componere et in conspectum conferre hic supersedeo, cum et Bachofius hoc iam accurate fecerit et Müllerianae dissertationis pgg. 20—28 his rebus repletae sint) in prioribus 22 Dionis capitibus inveniuntur praeter duos, qui exstant c. 52 et 54; de quibus quid sentiam infra explicabo, nunc illos nostro iure missos facere possumus, cum nullo modo dubium sit, quin Plutarchus inter hos et illos locos alterum usurpaverit fontem, eum dico quem ipse appellat *Timonidem*, Dionis commilitonem, qui de rebus in Sicilia gestis litteras ad Speusippum dedit, cfr. c. 31 et 35. Itaque de prima tantum parte hic verba faciamus, quippe quae et longior sit et multo maiorem copiam exhibeat eorum locorum, in quibus cernitur Plutarchi et epistolarum cognatio.

Ac vero duae prae ceteris causae sunt quibus commoveor, ut in hac parte non ipsas epistolas Platonicas Plutarchi fontem esse existimem, prior, quod c. 21 init. scriptor narrat Platonem, cum Dionysius Aretam Dionis uxorem alii in

matrimonium dare vellet, obscure et aenigmatis modo ad eum scripsisse (*ἠνίξατο γράφων*) Dionem hac de re vehementer succensurum esse. Aperte igitur scriptor spectat ad XIIIam epistolam, pg. 362 e (*περὶ μέντοι ἐκείνων, ὧν οὐκ εἴας μεμνῆσθαι πρὸς αὐτὸν* (sc. *Δίωνα*) *οὔτε ἐμνήσθην οὔτε διελέχθην, ἐξεπειρώμην δὲ, εἴτε χαλεπῶς εἴτε ῥᾳδίως οἴσει γιγνόμενον, καί μοι ἐδόκει οὐκ ἠρέμα ἂν ἄχθεσθαι, εἰ γίγνοιτο),* qui tamen locus ita comparatus est, ut nemo inde concludere possit pertinere haec verba ad Dionis uxorem, sed re vera aenigma est ille locus eis qui legunt. Qua de causa, cum statui nequeat Plutarchum ex commentariis expertum esse, quo spectent haec epistolae verba, sine dubio alio usus est fonte, qui quamquam cum epistolis cohaerebat tamen id, quod hae extremis tantummodo digitis tangunt, accurate et luculenter exposuit. Bachofius quoque pg. 23 l. l. contendit haec Plutarchi verba aliunde (atque ex epistolis) petita esse, Müllerus contra hunc locum, quamquam exstat in comparatione sua pg. 28, silentio praetermittit.

Accedit altera causa eaque gravissima: sine dubio enim Plutarchus has epistolas pro genuinis et germanis ipsius Platonis scriptis habuit, aeque ac fecerunt Cicero, Dionysius Halicarnasensis, ipse Aristophanes Byzantius (Cic. Tusc. V, 35, 100. Dion. Hal. de vi dic. in Dem. 23, pg. 1027 Reisk., Diog. La. III, 62; de Plutarcho potissimum confer Dionis et Bruti syncr. 3). Quod si eas nonnullis locis adhibuit, vehementer mirandum videtur, quod alio quodam loco (c. 20) ab eis discedens eum sequitur scriptorem, qui non cum eis congruit; et ne putemus hoc casu factum esse ipse addit ea quae modo narraverit de reditu Platonis in patriam non valde cum „ipsius Platonis verbis“ congruere (*τοιαύτην μὲν τὴν ἀποστολὴν τοῦ Πλάτωνος γενέσθαι λέγουσιν. οὐ μέντοι*

τὰ Πλάτωνος αὐτοῦ πάνυ τούτοις συνᾴδει). Cui loco quamquam Bachofius (pg. 23) minus tribuit, inde tamen vel maxime elucere puto ipsas epistolas non fontem fuisse Plutarchi; nam quin verba *τὰ Πλάτωνος αὐτοῦ* epistolas significent, nullo modo dubitari potest; cum his autem ea quae retulit Plutarchus non congruunt, non solum quod, ut vult Bachofius, facete illud dictum Platonis (*μὴ τοσαύτη λόγων ἐν Ἀκαδημείᾳ γένοιτο σπάνις ὥστε σοῦ τινὰ μνημονεῦσαι)* additur, sed etiam illud, quod Archytas cum amicis vadimonium securitatis Platonis suscipere voluisse dicitur, non est in epistolis (VII, pg. 350 a); deinde quod legimus in eisdem l. l. ipsum Platonem nuntium de se ad Archytam misisse, tacet Plutarchus; denique cum in epistolis exstat *πρόφασίν τινα πρεσβείας πορισάμενοι — πέμπουσι τριακόντορον,* Plutarchus narrat: *πέμπουσι πρεσβείαν καὶ τριακόντορον.* Haec ommnia discrepant, ne dicam de eis, quae c. 19 narrantur, quorum complura non congruunt; suo igitur iure Plutarchus monet epistolarum verba „non valde“ concinere.

Quod argumentum gravissimum Müllerus neglegentius quam par est pg. 34 paucis verbis refutare conatur his: „sed ex alio illo fonte (quem statuit Bachofius) forsan collectaneis nihil aliud hausit, nisi fabellam de Platone proficiscente.“ Statuit igitur Plutarchum omnibus eis locis, quibus alludit ad epistolarum verba, ipsas epistolas aut collectanea sua ex eis excerpta ante oculos habuisse, hoc uno loco discessisse ab earum fide et reditum Platonis secundum alium quendam fontem descripsisse, sive ipsum fontem, sive collectanea adiit. Quod qui factum sit nostro iure quaerimus; nam nullam causam video, cur epistolas sexcenties usurpatas, quin etiam laudatas uno hoc loco reliquerit, praesertim cum eas pro ipsius Platonis verbis, i. e. pro fidelissimo fonte haberet!

Fortasse commoditatem hanc causam fuisse dixeris: at, quaeso, nonne commodius est fontem antea usitatum retinere quam novum adire? Denique, licet Plutarchus hoc fecerit — qua in re sane minime sibi constaret! — num putas eum hanc rem expressis verbis adnotaturum fuisse? Minime! Nam primum hac re sibi ipsi obfuisset, deinde, si ita commoditati favebat, ut fontem semel adhibitum hac sola in re relinqueret, certe etiam ita favebat, ut res modo narratas non concinere cum illo fonte monere supersederet.

Quibus rebus veri simile fit discrepantiam, quae in hoc loco inest, indidem fluxisse unde cetera, quae ab epistolis in hac libelli parte declinant, nimirum ex alio quodam fonte, qui quamquam cum epistolis cohaerebat, tamen multis in rebus ab eis abhorruit. Nam nisi hae causae, quas supra attuli, exstarent, certe ceteris discrepantiis nihil tribuerem, quas cum a Bachofio et Müllero satis superque notatae sint hoc loco affere nolo. Has enim, quamvis graves et magnae sint, tamen neglegentia Plutarchi admissas esse libenter concesserim, cum talis sit epistolarum compositio, ut ex diversissimis disiunctissimisque locis ea depromenda sint, quae pertinent ad Dionis vitam, nonnulla etiam bis (in ep. III et VII) narrentur. Nam Plutarchum neglegentiorem auctorem fuisse, ut aït Müllerus, nemo negabit; sed, si quidem talem se praebet, cavendum est ne potius diligentissimum eum esse existimemus, quippe qui eo fonte, quem antea usurparat, relicto adnotaverit ea, quae modo retulerit, non valde concinere cum illo.

Sed hae causae non omnes sunt, quas proferre licet. Et ex eis quidem, quae per se spectatae minoris momenti sunt quam ut rem evincant, sed cum firmioribus coniunctae haud spernendae videntur, hoc tantum affero quod verba,

quae interponuntur inter ea, quae congruunt cum epistolis, tam arte cum eis copulantur ut integro Plutarchi sermone ab eo secerni vix queant. Nam si ipse Plutarchus haec verba intexuisset, haec res valde mira esset, quippe quae prorsus abhorreat ab eius indole ac ratione, qualem ex ceteris vitis ab eo scriptis cognitam habemus. Ad illustrandam hanc rem liceat mihi initium c. 16 cum epistolarum verbis componere et ea diductis litteris notare, quae adduntur apud Plutarchum.

Plut. c. 16.

Πλάτωνα δὲ Διονύσιος εὐθὺς μὲν εἰς τὴν ἀκρόπολιν μετέστησεν, ἔντιμον αὐτῷ σχήματι ξενίας φιλανθρώπου φρουρὰν μηχανησάμενος, ὡς μὴ συμπλέοι Δίωνι μάρτυς ὧν ἠδίκητο. Χρόνῳ δὲ καὶ συνδιαιτήσει καθάπερ ψαύειν ἀνθρώπου θηρίον ἐθισθεὶς ὑπομένειν τε τὴν ὁμιλίαν αὐτοῦ καὶ τὸν λόγον, ἠράσθη τυραννικὸν ἔρωτα, μόνος ἀξιῶν ὑπὸ Πλάτωνος ἀντερᾶσθαι καὶ θαυμάζεσθαι μάλιστα ὑπὸ πάντων, ἕτοιμος ὢν ἐπιτρέπειν τὰ πράγματα καὶ τὴν τυραννίδα μὴ προτιμῶντι τὴν πρὸς Δίωνα φιλίαν τῆς πρὸς αὐτόν.

Ep. VII, 329 e sq.

Ὁ δὴ μηχανώμενος (sc. *τὸ ἐμὲ μένειν) διεκώλυέ μου τὸν ἔκπλουν, εἰς ἀκρόπολιν ἀγαγὼν καὶ κατοικίσας, ὅθεν οὐδ' ἂν εἷς ἔτι με ναύκληρος ἐξήγαγε.*

330 a. *ἠσπάζετο μὲν (ἐμὲ ὁ Διονύσιος) ἀεὶ προσιόντος τοῦ χρόνου μᾶλλον κατὰ τὴν τοῦ τρόπου τε καὶ ἤθους συνουσίαν, ἑαυτὸν δὲ ἐπαινεῖν μᾶλλον ἢ Δίωνα ἐβούλετό με φίλον ἡγεῖσθαι διαφερόντως μᾶλλον, ἢ κεῖνον, καὶ θαυμαστῶς ἐφιλονείκει πρὸς τὸ τοιοῦτον.*

Quivis ni fallor statim videbit haec additamenta quod ad rationem sermonis attinet Plutarchum non redolere, ne dicam de rebus ipsis, velut de verbis „*ἕτοιμος ὢν ἐπιτρέπειν τὰ πράγματα καὶ τὴν τυραννίδα,*“ cuius rei ne minimum

quidem vestigium in epistolis exstat. Similiter de hoc loco disserit Bachofius pg. 20.

Sed gravior altera quaestio est, quam Mülleri sententiae opponere licet: nimirum unde ea, quae ex epistolis non fluxerunt (quae permulta esse unusquisque statim intelleget perlustrans ea, quae collegerunt Bachofius et Müllerus) desumpta sint? Nam haec quoque non ipsi Plutarcho procul dubio sed fonti alicui ab eo adhibito originem debent. At, inquies, Müllerus ipse opinionem suam de hac re non celat nos: immo haec partim historiolas esse, quas Plutarchus ex collectaneis suis hauserit, partim ex Timaei historia Siculorum sumpta esse contendit. Et historiolas quidem pg. 33 statuit esse quae leguntur c. 7 de epulis nonaginta dierum; c. 9 de Dionysii maioris suspicaci animo; c. 13 de discendi cupiditate Dionysii minoris; c. 17 (? v. i. pg. 13); c. 19 de Aristippi facetiis; c. 20 de Platonis proficiscentis facetiis; c. 21 de Thesta muliere. Contra quae Timaeo originem debeant pg. 16 Müllerus composuit, et causas, cur huic auctori haec assignet, pg. 2 sqq. exposuit, quas tamen equidem nullo pacto probabiles esse censeo. Qua de re quamquam hoc loco minoris est momenti, statim pauca verba facere mihi liceat, cum infra inde lucraturi simus.

Causa enim quae et Müllerum et Bachofium, qui eandem iam protulit sententiam, permovit, haec est: permulta quae Plutarchus de Dione Dionysiisque narrat cum eis consentiunt, quae Nepos in priori parte vitae Dionis etsi brevius memoriae prodit, id quod nemo quidem negare potest. Nepotem autem a Timaeo sua sumpsisse inde concludunt, quod bis eius nomen laudatur a Plutarcho in rebus, quas eodem modo atque a Cornelio ab eo narratas esse dicunt; primum c. 6, postquam tradita est res, de qua reapse uterque idem retulit:

Plut. 6.	Nepos 2.
Ἐπεὶ δὲ νοσῶν ἔδοξεν Διονύσιος ἀβιώτως ἔχειν, ἐπεχείρησεν (sc. Dion) *αὐτῷ διαλέγεσθαι περὶ τῶν ἐκ τῆς Ἀριστομάχης* (quae eius soror et coniux Dionysii fuit) *τέκνων ὁ Δίων . . .*	Interim in morbum incidit Dionysius. Quo cum gravi conflictaretur, quaesivit a medicis Dion, quem ad modum se haberet, simulque ab iis petiit, si forte in maiore esset periculo, ut sibi faterentur; nam velle se cum illo colloqui de partiendo regno, quod sororis suae filios ex illo natos partem regni putabat debere habere.

Quae vero sequuntur, non iam accurate concinunt; nam cum Plutarchus dicat: *οἱ δὲ ἰατροὶ τῷ μέλλοντι τὴν ἀρχὴν διαδέχεσθαι χαριζόμενοι καιρὸν οὐ παρέσχον,* a Nepote medici hoc non tacuisse, sed sermonem ad Dionysium filium retulisse dicuntur. Sed haec discrepantia minoris momenti et ea est, quae a scriptore minus accurato facile admitti potuerit, et tota quaestio ex insequentibus pendet, quae apud Nepotem haec sunt: „quo ille (Dionys. min.) commotus, ne agendi esset Dioni potestas, patri soporem medicos dare coëgit; hoc aeger sumpto sopitus diem obiit supremum," quae verba optime ad antecedentem narrationem quadrant eamque ex rerum statu ad finem perducunt. Plutarchi contra narratio finita est, nihil superest quod praeterea exspectemus, et quae addit ab hac narratione, ut quivis ex ipsis verbis intelleget, aliena sunt; dico haec: *„ὡς δὲ Τίμαιός φησι, καὶ φάρμακον ὑπνωτικὸν αἰτοῦντι δόντες ἀφείλοντο τὴν αἴσθησιν αὐτοῦ, θανάτῳ συνάψαντες τὸν ὕπνον."*

Quid igitur ex hoc loco concludere possumus? Nihil! Nam id quidem luce clarius est minime *totam* Plutarchi narrationem ex Timaei libro fluxisse, sed illam tantummodo

eius partem, quae incipit verbis *ὡς δὲ Τίμαιός φησιν*. Dixerit fortasse quispiam (ut fecisse videtur Laarius, obss. crit. in Plutarchi vitam Dionis, diss. inaug. Lugd. Bat. 1851, pg. 17) si urgeamus particulam *καὶ* ante *φάρμακον* positam probari posse et antecedentia et insequentia eidem fonti, i. e. Timaeo, originem debere: at non solum verborum ratione nullo modo cogimur ut hoc verbum premamus, sed etiam Timaeus si utrumque tradidisset, nonne mirum esset, quod hic laudatur in media ea narratione, quae ex historia eius hausta est? Deinde quod ad Cornelianam attinet narrationem ne ea quoque Timaeo deberi videtur. Namque retulit Timaeus medicos petenti *(αἰτοῦντι)* Dionysio maiori soporem dedisse itaque aegrotanti ei animam dempsisse; contra Nepos refert medicos hoc fecisse non tam patris precibus commotos quam a filio coactos, itaque prorsus a Timaeo abhorret. Quam discrepantiam removere Bachofius ita conatus est (pg. 38 sq.) ut statueret verba „soporem medicos dare coegit" ad ipsius Cornelii, scriptoris levis et inscii, superlationem esse referenda neque quidquam in fonte scriptum fuisse nisi medicos soporem ita dedisse, ut annuente quidem filio, non cogente hoc fecisse putandi sint. „Nam medicos, inquit, quippe enixe rebus successoris inservientes quid opus erat cogere?" At ubinam tandem apud Nepotem legimus medicos enixe rebus successoris inservisse? Immo Plutarchus *χαριζομένους* eos appellat Dionysio minori, Nepos nusquam! Et ut inserviverint, iam eam ob causam sua sponte ad quidvis flagitium erant parati? Vides nimis audacem esse et violentariam Bachofii coniecturam.

Quae autem hic ex Nepotis verbis resecare vult, eadem Müllerus ad Plutarchi verba addere conatur his verbis (pg. 7): „Filium medicos coegisse ibi (ap. Plut.) quidem non legimus; sed medici sciebant talia non displicere et in inse-

quentibus non invenimus filium iratum ob patris necem poena eos affecisse." Unde, quaeso, tam accurate hic interpres scit, quid cogitarint medici?

Quid quod ipse Bachofius probe scit etiam probata eius explicatione nondum omnes difficultates esse sublatas, cum referat Timaeus ipsum Dionysium maiorem petiisse soporem a medicis, qua re cum medici tum filius omni culpa privantur. Quam difficultatem ut tolleret nullum aliud vidit remedium, quam ut verba mutaret; at congruentiam scriptorum, ubi agitur de fontium investigatione, mutationibus efficere nimis temeraria minimeque probanda est ratio. Et Laarii quidem (pg. 18 l. l.) coniecturam (*νοσοῦντι* pro *αἰτοῦντι*) reicit et sequitur Mehlerum, qui Mnemos. VIII, pg. 75 proponit ut mutato ordine verborum scribatur: *καὶ φάρμακον αἰτοῦντι ὑπνωτικὸν δόντες* etc. „Qua probata, pergit, omnes omnino difficultates removentur: Dionysius medicinam postulat, medici porrigunt soporem, scilicet *χαριζόμενοι τῷ μέλλοντι διαδέχεσθαι τὴν ἀρχήν*." Ne tamen putes haec verba quae per „scilicet" introducuntur, Timaeum addidisse: ipse Bachofius haec addidit ex ea parte narrationis Plutarcheae, quae non ex Timaeo originem duxit itaque ex alterius partis verbis conclusionem facit de altera, quod quo modo defendat ipse videat. Praeterea autem, an nunc Timaeana narratio congruit cum Corneliana? Minime; nam Nepos disertis verbis tradit coegisse Dionysium medicos ut patri soporem darent (id quod errori tantum scriptoris non tribuendum esse supra vidimus), Timaeus contra, accepta illa coniectura, nihil refert nisi tyrannum medicinam postulasse, medicos soporem dedisse: quae quo modo inter se concinant equidem nescio.

Ergo quid ex hoc loco elucet? Neque Cornelio fontem

fuisse Timaeum neque Plutarcho in aliis rebus atque quae paucis illis verbis continentur, inde concludere licet. Immo contrariam potius rem: neutrum dico Timaeo sua debere. At alter exstat locus, quo secundum Müllerum (pg. 8 sq.) et Bachofium (pg. 40 sq.) probatur Timaeum utriusque esse auctorem; nam provocat ad eius fidem Plutarchus et quae Nepos narrat cum illius verbis consentire dicuntur. Agedum examinemus hunc locum, qui est c. 14 ap. Plut., ubi narratur Dionysio iamiam irato et diffidenti epistolam a Dione ad Carthaginienses missam deditam esse. Quae sequuntur cum Nepotis verbis componamus:

Plut. 14.	Nep. 4.
Ταύτην ἀναγνοὺς Διονύσιος Φιλίστῳ καὶ μετ' ἐκείνου βουλευσάμενος, ὥς φησι Τίμαιος, ὑπῆλθε τὸν Δίωνα πεπλασμέναις διαλύσεσι καὶ μέτρια σκηψάμενος διαλλαττεσθαί τε φήσας, μόνον τε ἀπαγαγὼν ὑπὸ τὴν ἀκρόπολιν πρὸς τὴν θάλασσαν, ἔδειξε τὴν ἐπιστολὴν καὶ κατηγόρησεν ὡς συνισταμένου μετὰ Καρχηδονίων ἐπ' αὐτόν. ἀπολογεῖσθαι δὲ βουλομένου τοῦ Δίωνος οὐκ ἀνασχόμενος, ἀλλ' εὐθὺς ὡς εἶχεν ἐνθέμενος εἰς ἀκάτιον προσέταξε τοῖς ναύταις κομίζοντας αὐτὸν ἐκθεῖναι πρὸς τὴν Ἰταλίαν.	Qui quidem (Dionysius) cum a Dione se superari videret ingenio, auctoritate, amore populi, verens ne, si eum secum haberet, aliquam occasionem sui daret opprimendi, navem ei triremem dedit, qua Corinthum deveheretur, ostendens se id utriusque facere causa, ne, cum inter se timerent, alteruter alterum praeoccuparet.

Stupebis atque ex me quaeres, ubinam sit illa de qua

dixerim congruentia? Ac ne ego quidem hoc scirem, nisi Bachofii et Mülleri scripta legissem; nam hi luce clarius ostenderunt unam eandemque rem utrumque proferre, nisi quod infelici quodam casu factum sit, ut Cornelius nesciret, quid significet vocula „ἀκάτιον", qua re id scripserit, quod aptissimum ei visum sit, nempe „navem triremem." Deinde quod alter dicit „qua Corinthum deveheretur," alter „ἐκθεῖναι πρὸς τὴν Ἰταλίαν" secundum Müllerum (nam Bachofius — nescio quo casu commotus — de hac re prorsus tacet) nihil miri habet; nam scripsit, si eum audimus, Timaeus: quamquam iusserit Dionysius nautas in Italia Dionem exponere, illum tamen Corinthum devectum esse; sed, cum et Plutarchus et Cornelius brevitati studeret, factum est ut alter priorem, alter posteriorem partem huius sententiae omitteret. Quid quod Nepos illam epistolam a Dione ad Carthaginienses datam (de qua ipsa quoque re quin Timaeus tradiderit non dubium est, ut apparet e verborum ratione apud Plutarchum) ne uno quidem verbo commemorat? Tacent de hac re et Bachofius et Müllerus, at haud dubie eidem breviloquentiae hoc tribuunt. Nihil sane est quod tali interpretandi ratione non possit probari, quapropter satis se ipsa refellere mihi videntur eiusmodi commenta et artificia.

Tantum igitur abest ut illam amplectamur sententiam, ut ex his duobus locis concludere debeamus Timaeum Nepoti omnino non ante oculos fuisse, cum eius narratio neutro loco cum illo concinat, Plutarcho his ipsis tantummodo locis. Nam constat veteres rerum scriptores fontes quos sequantur rarissime et, ubi fit, ibi propter certas quasdam causas afferre solere. Quod si Plutarchus bis Timaeum laudat, nostro iure statuere possumus Timaeum discrepasse a fonte ceteroquin adhibito: nam si aut omnia ex illo fluxerunt aut verba

illius cum altero fonte concordabant, non erat cur eum laudaret. Ergo si reputamus in ceteris Plutarchi capitibus permulta cum Nepote congruere, hos autem duos locos, quibus laudatur Timaeus, non congruere, facere non possumus quin statuamus neutrum Timaei libro usum esse.

Qua in re tractanda si fortasse longior fui inde habet excusationem, quod, ut iam dixi, infra inde lucrabimur. Quamquam hoc quidem loco fortasse minoris ea est momenti, cum nihilo secius statuendum sit eas partes, quae cum Nepote apud Plutarchum congruunt, historico alicui originem debere, sive Theopompus sive Ephorus sive alius fuit. Quod si statuere vellemus huic fonti eos assignandos esse locos, quos proponit Müllerus, cetera partim ex epistolis Platonicis partim ex collectaneis (dico historiolas) fluxisse, tamen nonnulla restarent, velut media pars c. 7, extrema pars c. 8 et posterior c. 9, totum c. 10, posterior pars c. 11; quae omnia neque ex epistolis deprompta sunt neque cum Nepotis verbis congruunt, ut tertius statuendus esset fons nobis ignotus, cui haec assignaremus. Quamquam autem re vera talem fuisse ipse infra ostendam, tamen, ut ibidem videbimus, nequaquam tam late patet eius ambitus.

Porro historiolae, ut iam ad has nos vertamus, si omnes quae neque apud Nepotem leguntur neque in epistolis exstant, ex Plutarchi collectaneis essent repetendae, totum exempli gratia c. 17 e talibus constaret historiolis. Nam quae Müllerus pg. 16 profert ut ostendat primam partem Timaeanam esse, nihili sunt. Praeterea omnia, quae c. 16—21 continentur conglutinata essent ex historiolis et eis rebus, quas Plutarchus ex epistolis Platonicis hausit et cum suis ipsius verbis coniunxit: quod nemo, qui Plutarcheam cribensdi rationem cognitam habet, eum fecisse putabit. Nam constat commo-

dissime eum in fontibus vitarum elegendis egisse et, quoad ullo modo fieri potuerit, unum eundemque continenter exscripsisse.

Denique si eos enumeramus fontes, quos Müllerus statuit, qui sunt Timaeus — aut potius, ut ego demonstrasse mihi videor, alius quis rerum scriptor, cuius verba bis ex Timaei historia vel amplificantur vel corriguntur — epistolae Platonis, ipsius Plutarchi verba, historiolae quae ex eius collectaneis fluxerunt, fortasse etiam alii scriptores (nempe in illis partibus, quas pg. 13 enumeravi), vehementer mirabimur quod Plutarchus tot et tam diversas res in unam continuam narrationem coniunxit et ita quidem, ut modo res inde, modo aliunde petitae proferantur: quippe quae res prorsus ab indole et ratione eius abhorreat.

Quod si veri est dissimile Plutarchum ipsas epistolas exscripsisse, quam sententiam magis amplectemur, quam eam, quae a Bachofio statuta est: nimirum usum esse Plutarchum fonte quodam, qui cohaeserit cum epistolis, unde non solum ea verba, quae epistolarum cognationem prae se ferunt, sed etiam nonnulla ex ceteris quae legimus fluxerint? Cui si annuimus, tria expediuntur: primum fontium numerus quos adhibuit Plutarchus minuitur; deinde apparet unde sciat Plutarchus quo spectent verba XIIIae epistolae, quae explicat c. 21; denique qui factum sit intellegimus, ut relata re quae non concinit cum epistolis, addat: *τὰ Πλάτωνος αὐτοῦ οὐ πάνυ τούτοις συνᾴδει.* Cum enim epistolas Platonicas, quippe quae ei viderentur *τὰ Πλάτωνος αὐτοῦ,* fidelissimum et unice verum arbitratus esse fontem, nihilominus commoditati indulgens eum sequeretur fontem, quo non singulae tantum et dispersae res continebantur, sed qui continuus erat, hac ipsa re commotus est ut eo loco, ubi hunc fontem

ab illis discrepare animadvertebat, hoc notaret; ceteris vero locis, ubi eius narratio item ab epistolis differt, discrimen sine dubio non intellexit.

Sed de hac re infra accuratius agemus; nunc quinam ille fons fuerit et, quod eodem pertinet, quoad Plutarchus illo usus sit, ante omnia indagemus. Nam duae statui possunt rationes, quibus cum epistolis cohaeserit: aut ille ex epistolis, aut hae ex illo fluxerunt. Quarum sententiarum utri adstipulemur nunc quaeritur.

Ac vero si eos tantum respicimus locos, qui sine ullo dubio ex eo fonte fluxerunt, complura iam de eo autumare possumus: primum locupletiorem eum fuisse quam epistolas (v. s. pg. 6); deinde videmus hunc fontem non omnino cum eisdem concinere, certe non eo loco, ubi ipse Plutarchus hoc adnotat (c. 20), fortasse aliis quoque, quamquam hac de re firmum iudicium adhuc ferri nequit; denique nonnulla accuratius et magis perspicue relata in eo exstitisse quam in epistolis ex c. 21 videmus. Quae si reputabimus in alteram abibimus sententiam, nempe fluxisse epistolas ex illo fonte, quo usus est Plutarchus. Nam — ut probata sit haec sententia — quod is fons locupletior est, explicatione haud eget; aeque quod saepius discrepat ab epistolis, facile est explicatu: si quidem epistolarum scriptor vel scriptores — qui quin rhetores non minus fuerint quam ei, quibus ceteras quas habemus virorum clarorum epistolas debemus, hodie nemo fere dubitat — id semper ex illo fonte continuo sumebant, quod fabricandis epistolis aptum erat et, ut ei qui verborum comptui atque ornatui student semper fere facere solent, haud ita probro sibi vertebant si quid minus recte proferebant; qua re factum est ut permulta omitterent, duo Platonis itinera confunderent (quoniam alio atque ille fons ordine

utebantur), denique nonnulla aliter traderent. Denique si talis qualem nobis fingimus rhetor epistolarumque fabricator eam rem, quam legimus Plut. c. 21, apud auctorem suum inveniebat, quid antiquius habebat quam ut aenigma illud, quod Plato scripsisse fertur, epistolae suae, quae Platonis nomen ostentabat, insereret? En explicationem harum rerum facillimam et commodissimam probata illa sententia.

Sed huic somnio indulgere, quamvis arrideat, non prius possumus quam alteram quae obstat sententiam eumque devicerimus, qui eius patrocinium fert, Bachofium. Nam ille pg. 26 l. l. contendit non solum eas partes, quibus aut ipsa epistolarum verba aut sententiae vel verba contineantur, quae epistolarum necessitudinem prae se ferunt, sed totam primam partem Dionis Plutarchei inde a c. 3 (nam duo priora capita prooemium ab ipso auctore additum exhibent) usque ad c. 22 ex illo fonte fluxisse. Hunc autem fontem (cuius auctorem ideo, quod philosophus Academicorum sectae adscriptus fuisse videtur, „*Academicum*“ appellat) ita comparatum fuisse censet, ut ex Platonicis epistolis et Timaei historia, fortasse etiam ex aliis fontibus (cfr. pg. 41 l. l.) sua composuerit, ad quae Plutarchus nihil addiderit nisi duos illos locos, ubi Timaeus laudatur et nonnullas narratiunculas (cfr. p. 44).

Qua ab sententia me ita dissentire, ut negem fluxisse hunc fontem, quem Academicum appellat Bachofius, ex epistolis, iam dixi; praeterea autem nullo pacto persuadere mihi possum cohaesisse hunc fontem cum Timaeo vel potius cum eo auctore, quem sequitur Nepos X, 1—4, itaque eas partes, quae Cornelianae narrationis similes sunt, itidem ex illo fonte fluxisse. Qua re quae sint Bachofii causae et quid contra eas proferri possit iamiam videamus.

Ac vero Bachofius pg. 26 sqq. demonstrare conatur per totam hanc opusculi partem vestigia epistolarum exstare itaque totam eam Academico originem debere; attamen prorsus oblitus est inquirere possintne eae partes, quae congruunt cum Nepote, vel sermonis diversitate vel fontium commutationibus adhuc perspicuis ab istis segregari, quibus epistolarum vestigia continentur; nam si hoc fieri possit, res plane invertatur: primum enim nihil obstabit quominus statuamus ipsum Plutarchum ambos fontes coniunxisse; deinde omnes quas affert Bachofius causas spectantes ad eas partes, quae epistolarum similitudine insignes sunt, corruent.

Ac re vera posse segregari binas particulas existimo; nam mirus esset casus quod eae partes, quae cum epistolis congruunt, rhetoricam quandam speciem prae se ferunt comptis et expolitis verbis et sententiis, eae contra, quae cum Nepote concinunt, prorsus nudae et ieiunae sunt, praeterea autem inter has et illas hic illic coagmenti vestigia adhuc satis dilucida et perspicua exstant, — mirum hoc esset, si utraeque partes, ut vult Bachofius, ex uno eodemque fonte fluxissent.

Ac primum quidem, ut ipsam rem aggrediamur, c. 3 et 4 init. Plut. (usque ad verba *αὐθημερὸν φράζειν),* concordantia cum eis, quae refert Nepos X, 1, 1 et 1, 3 et 2, 1 (v. Bach. pg. 36 sq. et Müll. pg. 3 sqq.) si cum eis comparas quae sequuntur, non fugiet te permultum interesse inter ieiunum et incomptum prioris partis sermonem et eam verborum multitudinem, qua obruimur in altera, quae conspirat cum epistolis, ut cernimus in verbis *ὡς αὐτὸς γέγραφε Πλάτων* c. 4 (cfr. ep. VII, 326 e—327 a et 326 b—d). Has tantummodo sententias legas: *ταύτης ἀδελφὸς ὢν ὁ Δίων ἐν ἀρχῇ μὲν εἶχε τιμὴν ἀπὸ τῆς ἀδελφῆς, ὕστερον δὲ τοῦ φρονεῖν*

διδοὺς πεῖραν ἤδη καθ' ἑαυτὸν ἠγαπᾶτο παρὰ τῷ τυράννῳ et *τραφεὶς γὰρ ἐν ἤθεσι ὑπὸ τυράννῳ ταπεινοῖς καὶ βίου μὲν ἀνίσου καὶ καταφόβου, θεραπείας δὲ νεοπλούτου καὶ τρυφῆς ἀπειροκάλου καὶ διαίτης ἐν ἡδοναῖς καὶ πλεονεξίαις τιθεμένης τὸ καλὸν ἐθὰς καὶ μεστὸς γενόμενος* e. q. s. Etiam quae sequuntur c. 5 verborum comptu non egent, (cfr. *οὔτε ἔφερεν ὁ τύραννος — ἤχθετό τε . . . . . ἀποδεχομένοις καὶ κηλουμένοις . . . . . θυμωθεὶς καὶ παροξυνθείς),* itaque haec quoque rhetorico quem apellare volumus fonti attribuenda sunt. Contra quae deinde sequntur (pg. 4, 30 ed. Sintenis ap. Teubn., 1863) et cum Nepotis libello similitudinem ostentant (cfr. Nep. X, 1, 4) et sermonis siccitate insignes sunt (cfr. verba *ἐθαυμάσθη διαφερόντως,* quae sunt apud Nepotem ceteroqui summae brevitati studentem: ,,hunc — suspexerunt, ut neminem unquam Graeca lingua loquentem magis sint admirati"), neque minus initium c. 6 ieiunum est et cum Nepotis verbis conspirat (v. s. pg. 8) praeter verba a Timaeo petita.

At quo ieiunior hic, eo comptior et expolitior insequens locus est usque ad init. c. 9 (Sint. 7, 30); nam cohaerere posteriorem partem c. 6 cum insequentibus inde patet, quod eadem res utroque loco commemoratur (c. 6: *παρέξειν εἰς τὸν πόλεμον αὐτῷ πεντήκοντα τριήρεις πλεούσας* etc. c. 7: *περισπῶντα ταῖς ναυσὶ τὴν δύναμιν εἰς τοὺς ἀδελφιδούς).* Atque expoliti et exaggerati sermonis quamvis multa exempla adsint, pauca tantum afferre volo haec: c. 6: *τῇ μὲν φρονήσει παῖδας ἀποδεῖξαι, τῇ δὲ παρρησίᾳ δούλους τῆς τυραννίδος . . . . ἀγεννῶς καὶ περιφόβως . . . .* c. 7: *ἐλέγχεσθαι τῇ λαμπρότητι καὶ ταπεινοῦσθαι τῇ δυνάμει . . . . ἔρωτας καὶ διατριβὰς ῥεμβώδεις περὶ πότους καὶ γυναῖκας καὶ παιδιὰς ἑτέρας ἀσχήμονας . . . . ἡ τυραννὶς ὥσπερ σίδηρος μαλασσομένη ἐφάνη*

οὐκ ἐπιεικείᾳ τινὶ μᾶλλον ἢ ῥᾳθυμίᾳ τοῦ κρατοῦντος ἀμβλυνομένη . . . . c. 8: *τὸ ἦθος ὄγκον εἶχεν αὐτοῦ καὶ τραχύτητα δυσπρόσοδον καὶ δυσξύμβολον* . . . . c. 9: *γεῦσαι λόγων καὶ μαθημάτων ἠθοποιῶν* etc. Haec sufficiant; nam quivis, qui hunc locum cum antecedenti comparabit, videbit toto coelo utriusque sermonem distare. Num igitur casu factum est, quod ille locus cum Nepotea vita, hic cum epistolis congruit? (Cfr. c. 8 *Πλάτων ὕστερον ἔγραφε πρὸς αὐτόν,* coll. ep. IV, 321b; VII, 327b; 338d etc.).

Quae sequuntur narratiunculae de suspicaci Dionysii maioris animo aliunde petita sunt, cum interrumpatur eis narratio instituta, quae c. 10 init. continuatur additis verbis *καθάπερ εἴρηται,* quae sequentia adnectunt ad ea, quae c. 9 init. narrantur. At vero unde fluxerint hae historiolae enucleari nequit.

Quo facto redit Plutarchus ad fontem modo relictum, i. e. rhetoricum, cum in hac particula compta et rhetorica verborum forma vel luculentissime appareat. Respicias enim quo modo opposita sint verba *ἐξ ἀκοσμίας κόσμος ἐστίν* . . . . *βασιλεὺς ἐκ τυράννου;* porro opponuntur *ἐν ἀθυμίᾳ* et *πρὸς ἀνάγκην τῆς ἀρχῆς* verbis *σωφροσύνῃ καὶ δικαιοσύνῃ* et *μετ' εὐμενείας πατρονομούμενα;* porro *τῷ μὲν σώματι καὶ τῇ περὶ τὴν οἴκησιν κατασκευῇ* et *ὁμιλίᾳ δὲ καὶ λόγῳ.* Sed iam satis; etenim neminem adeo hebetem esse censeo, quin animadvertat et quam compta sint haec verba et quam nuda insequentia, inde a verbis *οἱ δὲ τῷ Δίωνι πολεμοῦντες* (Sint 9, 28), usque ad ea quae leguntur c. 12 init.: *οὗτος μὲν οὖν τῆς τυραννίδος.* Quae cum ita sint, nonne mirus esset casus, quod in rhetorica parte epistolarum, in altera Nepotis vestigia inveniuntur? C. 11 med. legimus: *Πλάτων μὲν οὖν, ὥς φησιν αὐτός;* ceterum conferas ep. VII, 327b—d, 328a

etc., 338c, 339d. Ceterum notandum est quod hoc loco ea, quae in epistolis de tertio Platonis itinere narrantur, de altero traduntur (cfr. Bach. pg. 19). De Nepote autem conferas X, 3, 2: „eodemque tempore (quo Plato venturus erat) Philistum historicum Syracusas reduxit, hominem amicum non magis tyranno quam tyrannidi,“ et videbis eodem loco eisdem fere verbis hoc apud utrumque narrari. Contra quae antecedunt apud Cornelium (3, 1) minime cum eis congruunt, quae Plutarchus supra de eadem re tradit eum, ut vidimus, fontem secutus qui cum epistolis cohaerebat.

Quae sequuntur c. 12 rhetorico fonti assignanda sunt, cum comptae quaedam voculae et sententiae adsint, velut *τὸ δεσποτικὸν καὶ λίαν ἄκρατον ἀφελὼν τῆς τυραννίδος . . . . ἐμμελῆ καὶ νόμιμον ἄρχοντα . . . . εἰ δ' ἀντιβαίνοι καὶ μὴ μαλάσσοιτο* etc. Non minus init. c. 14 rhetoricam formam prae se fert, cuius rei argumentum afferre sufficit verba *κατεπᾴδων καὶ καταφαρμάσσων τῷ Πλάτωνος λόγῳ Διονύσιον* et sententiam *ἔνιοι δὲ προσεποιοῦντο κ. τ. λ.*, qua expolitior et magis quaesita inveniri nequit. Quae cum ita sint non dubito ea quae c. 13 narrantur eidem assignare fonti, cum et artissime cum antecedentibus et insequentibus coniuncta sint et speciosa quaedam et selecta verba inveniantur, velut *σχηματισμοὺς αὐλῆς, τὸ τυραννεῖον κονιορτὸς ὑπὸ πλήθους τῶν γεωμετρούντων κατεῖχεν, ἠλλοίωκε καὶ μεταβέβλωκε* etc. Valde dolendum est quod nescimus, unde sua sumpserit Aelianus, qui IV, 18 eundem quem hoc loco Plutarchus usurpavit scriptorem. Sed hoc ad rem nihil valet; statuendum est totum locum c. 12—14 init. (Sint. 12, 2) rhetorico fonti originem debere. Vestigia autem epistolarum, etsi pauca et oblitterata, tamen nonnulla in his inveniuntur: cfr. ep. VII, 329b et 333c.

Quae deinde leguntur c. 13 quin e Timaei historia fluxerint dubitari nequit, cum ipsius nomen addatur. Et autumare quidem me hunc totum locum (inde a verbis *ἐκ τούτων ὑποψίας,* Sint. 12, 2) eidem Timaeo esse tribuendum iam supra dixi, ubi ostendi hanc narrationem cum Nepote non congruere. Nunc hoc addiderim: vidimus eum scriptorem, quem Nepos et Plutarchus adhibent, ieiuno et nudo sermoni studuisse; contra quae hic legimus minime nuda et incompta sunt, sicut etiam aliunde satis scimus Timaeum fucato sermone usum et Asiaticae dictionis scriptoribus adnumeratum esse. (V. quae congessit C. Müllerus Fragm. hist. Gr. I, pg. LVII.)

Verumtamen quo minus haec, eo magis insequentia cum Nepote congruunt (v. Müller pg. 5), quae quominus e Timaeo fluxerint ea obstat causa quod supra, ubi laudatur Timaeus, Dionysius dicitur iussisse Dionem *in Italia* exponi, hic autem res familiaris eius *in Peloponnesum* missa esse fertur: ergo hic vestigium fontis mutati plane dilucidum exstat. Excipienda sunt verba *καὶ δεδοικὼς — τῷ Δίωνι γεγενημένης* (12, 25—27 Sint.), quae aperte spectant ad ea, quae inveniuntur in ep. VII, 329d, 338a, 346b. At vero si quis ex his verbis demonstrare conaretur Plutarchum librum aliquem ante oculos habuisse, qui compositus fuerit ex eis duobus de quibus agimus fontibus (quod ne Bachofius quidem facere conatus est) vehementer erraret, cum probari nequeat non potuisse Plutarchum nonnulla verba ex altero fonte ad alterius fontis verba addere. Qua re nihil impedit quominus statuamus ipsum Plutarchum haec verba inseruisse, sive ipsum adiit fontem, sive memoriter haec adiecit, cetera ex historico quem apellamus fonte manasse.

De ceteris, c. 16—22, brevi esse mihi licet, cum perpauci

tantum loci unde fluxerint dubitare liceat. Nam pleraque rhetoricam formam adeo prae se ferunt, ut neminem hoc fugere possit et concinere ea vel maxime cum epistolis cernere licet apud Müllerum, pg. 24—28. Porro hic quoque fontem commutatum esse inde apparet, quod c. 15 Dionis res in Peloponnesum missae esse feruntur, contra c. 17 init. ille in Academia, i. e. Athenis versari dicitur insciis nobis, quo modo eo venerit. De uno loco qui cum Nepote congruere videtur (c. 16; 13, 13 Sint.) infra loquemur; alterum quendam Müllerus pg. 16 invenisse sibi visus est c. 17 init: „similitudo verborum, ait, non exstat. Attamen de Callippo, quem falso Nepos nominat Callicratidam, aliquid hic Nepoti ante oculos fuisse, videmus e c. 8 (Nep.), ubi ab eo Dionem necatum esse legimus.“ Quam argumentationem prorsus non intellego; nam quo modo inde tantum, quod Callippus hic commemoratur (quem Dionis interfectorem fuisse et ceteri et Nepos mutato nomine tradit) colligere liceat Nepotis fonti hunc locum assignandum esse, ego certe minime assequor.

Restat narratiuncula de Thesta muliere c. 21, quam aliunde petitam esse inde apparet quod addit scriptor: *ταῦτα μὲν οὖν οὐκ ἄχρηστον ἔχει τὴν παρέκβασιν;* at vero num ex eodem historico fonte fluxerit unde cetera enucleari nullo modo potest.

Vidimus igitur binas particulas et eas quidem luculentissime in Plutarchi narratione discerni posse, quarum alterae rhetorico eique fonti originem debent, qui cohaerebat cum epistolis Platonicis, alterae historico eique, quo Nepos quoque in quatuor primis capitibus plerumque usus est. Porro bis Timaeum laudat Plutarchus, ex cuius libris hic parvam sententiam, illic maiorem particulam sumpsit; porro historiolarum, quae saepius inseruntur, non dubito quin nonnullae

aliunde depromptae sint; sed firmum hac de re iudicium ferri nequit. Iam in conspectu ponamus, quae partes ex hoc, quae ex illo fonte fluxerint. Et sumptae quidem sunt:

e fonte historico:

c. 3 et 4 init. (Sintenis 2,21—3,17).
c. 5 extr. — 6 init. (4,30—5,21).
c. 11 post. pars (9,28—10,18).
c. 15 prior pars (12,18—12,24).
c. 15 post. pars (12,27—13,5).

e fonte rhetorico:

c. 4—5 prior pars (3,17—4,30).
c. 6 extr. — 9 init. (5,23—7,30).
c. 10—11 prior pars (8,21—9,28).
c. 12—14 prior pars (10,18—12,2).
c. 15 med. (12,24—12,27).
c. 16—21 prior pars (13,6—17,32).

e Timaeo:

c. 6 med. (5,21—5,23).
c. 14 post. pars (12,2—12,18).

ex incerto auctore:

c. 9 post. pars (7,30—8,17).
c. 21 post. pars (17,32—18,16).

Praeterea haec addiderim: Plutarchus in extrema parte cap. 22 finem horum fontium exscribendorum fecisse videtur, cum et initium huius capitis concinat cum epistolarum loco VII, 350 c. d, et aliis ex causis veri simile sit c. 23 incipere narrationem Timonideam, quam se excerpsisse ipse fatetur c. 31 et 35. Quod ut accuratius exponam opus non est, quoniam ad id quod demonstrare mihi proposui nihil valet.

Ergo ad ipsam rem propositam revertar. Nam priusquam huic fontium segregationi prorsus confidere et quid

inde redundet videre possumus, restat ut de nonnullis locis disseram, quibus Bachofius aut epistolarum vestigia invenisse sibi visus est, cum secundum meam sententiam ad historicum fontem pertineant, aut historicum fontem detexisse, ubi ego rhetorico sedem suam vindicandam esse censeo. Tales locos cum diligenter et accurate circumspicerem hos inveni:

Primum Bachofius pg. 20 sq. demonstrare conatur c. 16 nonnulla inveniri, quae epistolarum auctoritatem respuant (quod ego quoque ostendi pg. 6), prae ceteris verba *ἕτοιμος ὢν ἐπιτρέπειν τὰ πράγματα καὶ τὴν τυραννίδα μὴ προτιμῶντι* (sc. *Πλάτωνι) τὴν πρὸς Δίωνα φιλίαν τῆς πρὸς αὐτόν,* addens: „hoc eo stabilitur, quod etiam apud Cornel. 3, 3 legimus: ut (Plato) ei (Dionysio) persuaserit tyrannidis facere finem libertatemque reddere Syracusanis.“ (Müllerus quoque haec componit pg. 6).

Ac sane valde mirum (etsi non prorsus inauditum) esset, si in hoc capite ceteroqui prorsus ex Academici libro sumpto talis congruentia cum historico fonte deprehenderetur. Sed ubinam illa congruentia sit quaerendum est. Putasne enim verba *τὰ πράγματα ἐπιτρέπειν τινί* idem significare ac „tyrannidis facere finem?“ Nonne illa potius significant „summas res alicui deferre,“ i. e. pro primo imperii ministro vel adiutore aliquo uti, haec, „imperium omnino deponere?“ Accedit quod in verbis *τά πράγματα ἐπιτρέπειν* si talis inesse posset sententia ut is, qui defert res, imperium deponeret, iam is cui res deferuntur sine dubio tyrannus fieret, i. e. Plato, nam ad hunc spectat insequens dativus *μὴ προτιμῶντι* etc. En Platonem Syracusanorum tyrannum a Bachofio declaratum!

Ergo hoc ne speciem quidem verisimilitatis habet, aeque atque id, quod Bach. pg. 32 sq. Plutarchum etiam ad res familiares Dionis illustrandas Academicum adhibuisse demon-

strare inde conatur. quod in c. 3 ceteroqui cum Nepote congruente inveniuntur verba *θυγατέρα Ἱππαρίνου, πρωτεύσαντος ἀνδρὸς Συρακοσίων καὶ Διονυσίῳ συνάρξαντος ὅτε πρῶτον αὐτοκράτωρ ἐπὶ τὸν πόλεμον ᾑρέθη στρατηγός*, quae aperte congruunt cum ep. VIII, 353 a: *τότε γὰρ εἵλοντο Διονύσιον . . . ., σύμβουλον δὲ καὶ πρεσβύτερον Ἱππαρῖνον ἐπὶ σωτηρίᾳ τῆς Σικελίας αὐτοκράτορας ὥς φασι τυράννους ἐπονομάζοντες* coll. VIII, 354 d. Quod cum apud ceteros scriptores nusquam legatur, patet fontem quem adhibuit Cornelius cum epistolis coniunctum esse. Ac vero hoc ipsum Plutarchum fecisse ut statuat Bachofius tantum abest, ut putet vel firmissimum ex hac re apparere argumentum adhibiti Academici, qui hos duos fontes una exscripserit. At si quis contenderet ipsum Plutarchum haec verba intexuisse, Bachofius huic nihil obicere posset, nisi quod persuasum sibi habet Plutarchum „unius fontis pedisequum“ esse et quoad fieri potuerit semper unum eundemque scriptorem usurpasse. Quod quo modo probet ipse videat: huc alia res accedit: nempe quae hoc loco commemorat Plutarchus de Dionysii Dionisque familia apud eos scriptores, qui continuam Siculorum vel Graecorum historiam scribebant (velut Timaeum, Ephorum, Theopompum) non uno eodemque loco positae erant, ut hic sunt in vita Dionis. Auctor igitur coactus erat ut ex diversissimis locis fontis sui has res colligeret, qua re facillime fieri poterat, ut nonnulla verba, quorum ex epistolis Platonicis vel ex altero illo fonte cum his cohaerente recordabatur, ibi adderet, ubi inveniebat eius hominis nomen, de quo illa verba erant, Hipparini. Porro quod Bachofius demonstrare vult hanc rem de Hipparino Dionysii collega prorsus singularem et ceteroquin inauditam esse, inde tantummodo demonstrare potest quod ceteri aucto-

res, imprimis Diodorus et Aristoteles de ea tacent: at vero quanta fides eis tribuenda sit conclusionibus, quae fiunt ex silentio scriptorum, nemo ignorat. Ceterum habuisse Aristotelem, cur hanc rem commemoraret eo loco, quem affert Bach. (polit. V, 5, 6) is negabit, qui hunc locum attente legerit.

Deinde Bachofius pg. 28 sqq. demonstrat iudicium, quod apud Plutarchum 7—14 de Dionysio minore fertur paulo mitius, plane congruere cum eo, quod in epistolis occurrit; „dubitari igitur nequit quin haec omnia eidem scriptori tribuenda sint, apud quem epistolae tamquam totius rei fundamentum sunt et amplificandi causa res quaedam singulae aliunde petuntur.“ Attamen si eum adibis fontium conspectum, quem posui pg. 23, videbis omnia in cpp. 7—14 ex Academico, quem vocat Bachofius, sumpta esse praeter posteriorem partem c. 9, ubi de maiori Dionysio sermo est, posteriorem partem c. 11, quae agit de Philisto, denique ultimam partem c. 14, quae a Timaeo petita est ipso professo Plutarcho, unde quid de Dionysio minore iudicet auctor non clare apparet. Qua re cum omnes ei loci, quibus iudicia continentur de Dionysio, ex eodem fonte eoque hausti sint, qui cohaerebat cum epistolis, haudquaquam mirum est quod ubique idem iudicatur de eo atque in epistolis.

Haec sola sunt quae e Bachofii argumentis contra nostram sententiam de dirimendis fontibus afferri possint, quae quam levia sint demonstrasse mihi videor. Cetera omnia, quae ille pg. 28—43 affert, ut ostendat permulta apud Plutarchum cum epistolis concinere, ad eos partes spectant, quas nos rhetorico assignavimus fonti, nostro ut spero iure; contra quae ille cum Nepote congruere ostendit, ad alteras partes ex historico fonte petitas pertinent. Ergo nullo modo pro-

bavit aut has partes epistolarum aut illas Nepotei fontis vestigia continere.

Ceteras autem causas, quibus idem demonstrare conatur ab Academico quem vocat epistolas et Timaei opus una exscripta esse, „haud firmissimas“ esse ipse concedit pg. 34. Quarum duas tantummodo inveni, quae praecedente disputatione mea nondum refutatae sint.

Primum enim pg. 41 sq. dicit: Plutarchum non ad fontem ipsum adscendisse ex quo Cornelius hauserit inde elucere, quod uterque differat in iudicio de Dionysio Philistoque: nempe Cornelium multo acerbius odiosiusque eos insectari contendit quam Plutarchum: apud hunc „solis in adiectis narratiunculis“ hanc acerbitatem iudicii exstare. Quam rem eo probare conatur, quod iudicia nonnulla acerbiora ex Nepotis, mitiora ex Plutarchi libello affert, quamquam haec res potius sic probanda erat, ut demonstraret eos locos, quibus acerbius iudicat Plutarchus, esse „adiectas narratiunculas.“ Nam unde scit Bachofius has narratiunculas esse adiectas? Inde quod adduntur verba λέγεται, λέγουσιν, ὥς φασιν (v. pg. 45), quae reapse in plerisque earum historiolarum apponuntur, quas ille statuit l. l.: at constat talia verba a scriptoribus veteribus non ideo adiungi solere, quod res narratae non ex fonte primario sumptae erant, sed e contrario quod ex eo ipso ne mutatis quidem verbis haustae erant. Accedit quod in quatuor tantummodo prioribus illarum historiolarum acerbum iudicium inest, in posterioribus contra (quae sunt de multitudine discentium in aula Dionysii, de Dione Megaris versato, de reditu Platonis, de Thesta) nihil odiosi et invidiosi occurrit. Ergo quatuor tantum locis acerba iudicia apud Plutarchum exstarent secundum Bachofium: quod secus esse et ex Mülleri libello videre licet, qui pg. 11

seq. tales locos collegit, et ex ipsius Bachofii verbis pg. 44: „Plut. c. 11 autem deprehendis invidiosum et maledicentem Philisti, Dionysii, Leptinis adversarium *in abundanti illa criminationum copia.*“ Quae si computo non crediderim plura eius modi iudicia apud Nepotem quam hic exstare, et ut paulo rariora sint, solo casu factum esse potest, ut Plutarchus in conectendis duobus suis auctoribus nonnulla ex his omitteret. Denique, ut ille hoc non fecerit, cur Academicus fecit? quid istius referebat ut acerba ea iudicia, quae in fonte suo exstabant, omitteret? At vero patiens sane et commodus is auctor est, de quo nihil scimus; quippe cui omnia ea imputare possimus, quae notis scriptoribus non possumus.

Verum enimvero in tota dissertatione Bachofius sic egit, ut id, quod Plutarcho indignum esse videatur, Academico tribuat, quae illo indigna sunt, Plutarcho; velut pg. 44, ubi statuit ea verba, quibus Timaeus laudatur, non ex Academici libro fluxisse sed ab ipso Plutarcho addita esse; „tum enim‘ inquit, necesse esset opinaremur iam Academicum hausisse et ex Timaeo et ex scriptore quodam Timaeum, epistolographum, forsitan alium coniungente; *quod plane veri est dissimile.*“ At cur tandem veri similius est Plutarchum et ex Timaeo et ex scriptore quodam Timaeum et epistolographum coniungente hausisse? Respondet Bachofius: quia cur Academicus hoc fecerit nequit explicare (prorsus assentior!), contra cur Plutarchus hoc fecerit, aliquo modo explicari potest. Nimirum Academicus mite iudicium de Dionysio minore fert (at confer quae de hac re supra dixi) itaque eum non incusat mortis patris (quod tamen cur Academicus fecerit ne ipsum quoque explicari nequeat vereor); sed Plutarchus, qui hanc rem apud Timaeum legerat, non dubitavit eam inserere laudato Timaei nomine. At ubi tandem culpa minori Dionysio

paternae mortis attribuitur in eis verbis, quae Timaeo debentur: *ὡς δὲ Τίμαιός φησι καὶ φάρμακον ὑπνωτικὸν αἰτοῦντι δόντες ἀφείλοντο τὴν αἴσθησιν αὐτοῦ θανάτῳ συνάψαντες τὸν ὕπνον,* etiamsi cum Mehlero et Bachofio legas *φάρμακον αἰτοῦντι ὑπνωτικόν* etc.? Nusquam! Et omnino, ubinam hoc scriptum est Dionysium ipsum fuisse auctorem mortis? Neque epistolographus nec Diodorus (XV, 74) nec Timaeus neque is scriptor, quem praeter Timaeum Plutarchus adhibuit hoc tradunt: solus Nepos hanc rem narrat. At eum in hac re errasse ipse Bachofius pg. 38 disertis verbis contendit (cfr. s. pg. 9).

Vides igitur, quam infirma et debilis haec argumentatio sit, praesertim cum de altero loco, ubi laudatur Timaeus (Plut. 14) ne minimum quidem verbum fiat, ut haec quoque res in eis posita esse videatur, quae explicari nequeant. Nam qua re ibi Plutarchus commotus sit, ut ipsum adiret Timaeum, quem eundem iam fons eius sequebatur, prorsus intellegi nequit.

Porro quod Bachofius dicit Plutarchum haud ita constantem sibi fuisse, sed interdum, si quae alias invenerit, ea adnexuisse, vereor ne de Bachofio quoque idem dicere liceat. Nam ille ut statueret Academicum Timaeum et epistolas Platonicas coniunxisse ea praecipue re commotus est, quod statuit Plutarchum unum eundemque fontem fidelissime sequi et nihil magis vitare quam duorum auctorum conglutinationem: qua opinione cum quasi pro fundamento totius disputationis usus sit, cavendum profecto ei erat ne usquam autumaret Plutarchum non dubitasse nonnullas res, quas cum in fonte primario non exstarent alibi legerat, verbis suis inserere. Qua in re certe non sibi constat Bachofius.

Sed iam vereor ne nimis verborum fecerim de hac ratio-

cinatione, quam „haud firmissimam“ esse ipse auctor concedit. Hoc autem inde clarissime elucere puto: nullas esse causas, cur cum Bachofio statuamus conglutinationem duorum fontium, historici quem Nepos adhibet et rhetorici qui cum epistolis cohaerebat, iam ab alio scriptore factam esse eoque Plutarchum uti; immo cum binae particulae adhuc satis accurate discerni queant et nullum exstet vestigium, ex quo fontes iam antea commistos fuisse colligamus, ab ipso demum Plutarcho eos simul adhibitos et coniunctos esse eodem cum iure credere licet. Quod si accedunt causae ex quibus apparet eum fontem, qui cohaerebat cum epistolis (i. e. Academicum) neque cum historico illo cohaesisse neque ex epistolis fluxisse, sed potius epistolas ex illo, non dubitabimus prorsus in hanc sententiam abire relicta Bachofiana.

Ac vero exstant eius modi causae. Nam cavendum est ne in eum errorem incidamus, quem Bachofius commisit, cum eas difficultates, quae occurrunt de ratione qua vita Dionis cum epistolis cohaereat, eo tollere sibi visus est, quod alium statuit fontem, in quo prorsus eaedem redeunt difficultates. Nam cur putat Plutarchum non ipsas epistolas usurpasse? Quod saepius ab eis discrepat; hac enim utendum est ratiocinatione: si Plutarchus his epistolis usus est, pro genuinis eas habuit, qua re nulla causa erat, cur ab eis discederet. Qua re commotus Bachofius alium statuit scriptorem, qui ex epistolis hauserit eumque Plutarchi fontem esse autumat. At proh deos immortales! nonne aeque mirum est quod ille scriptor tam saepe abhorret ab epistolis? Nonne is quoque, si quidem epistolis utebatur, pro genuinis eas habuit? Quamnam igitur ille causam habebat, cur toties et tantopere ab eis discreparet? Cur praecipue Plutarchus c. 20 extr. in narratione de Platonis reditu ab epistolarum fide se abalienavit,

cuius rei ne minima quidem erat causa? Cur tandem verba *ἀλλὰ τὰ Πλάτωνος αὐτοῦ οὐ πάνυ τούτοις συνᾴδει* addidit, quae apud eum non minus mira essent quam apud Plutarchum? Nam Bachofius putat ex ipso Academico Plutarchum haec verba sumpsisse, ratus illum epistolas Platonicas omnino non evolvisse aut etiam plane ignorasse. Cuius tamen opinionis probatio, quae pg. 18 exstat, prorsus perversa est; nam licet inde, qnod tam saepe laudat has epistolas *suspicio* exsistat ipsas evolutas non esse, *argumentum* inde minime nascitur. Et quod alibi nihil ex his profert, nisi duos locos, quid miri? In scriptis moralibus enim et Coriolani vita scribendis has epistolas non in manibus habebat ut in componenda Dionis vita, qua re id tantum illic ex eis proferebat, quod memoria tenebat, idque quod non prorsus recordabatur, mutilate citabat, velut de vit. pud. 11, quod affert Bachofius. Qua re plane veri dissimile est ex ipso Academico illa verba fluxisse, cum ne minimam quidem videamus causam cur ille ea addiderit. Contra si statuimus Academicum fontem epistolarum fuisse nescio Plutarcho, qui maiorem eis fidem tribuebat quam huic, nihil est cur haec verba miremur; nempe ille commoditate commotus, fortasse etiam ne salse illud dictum Platonis, quod in epistolis non exstat (*μὴ τοσαύτη λόγων σπάνις γένοιτο* etc.) omitteret, continuum fontem, i. e. Academicum sequebatur, quamquam eum ab epistolis abhorrere haud ignorabat; quam tamen discrepantiam ut notaret veritatis amore coactus est. Singulae autem discrepantiae, quae intercedunt inter epistolas et Plutarchum, (quas cur Academicus admiserit aeque mirum est ac cur Plutarchus) non tam Academico imputandae sunt quam epistolarum scriptoribus, quippe qui rhetorum modo non ei studuerint veritati, quae decet rerum scriptorem.

Porro quod Academicus aenigma illud solvit, quod exstat ep. VII, 362 c coll. Plut. c. 21, forsitan inde factum esse quispiam dixerit, quod alios adhibuerit fontes (nam apud Timaeum hoc exstitisse vix credideris), quibus eum usum fuisse autumat Bachofius pg. 41. Ac ne de ea quidem re dicere volo, quod talis fontium electio, qualem fecit Academicus secundum Bachofium, valde mira, ne dicam prorsus inepta esse videtur (nam quis epistolas Platonicas una cum Timaeo exscriberet?), cum Bachofius et alios statuat fontes et rerum ille scriptor, quem adhibuit Nepos, non Timaeus, ut vidimus, sed potius alius fuerit. Attamen quaerere possumus quale illud scriptum fuerit, quod Academicus composuit. Bachofius pg. 26 sqq. de hac re disserit, mirumque ei videtur (pg. 28), quod Plutarchus multo fusius quam par est in vita Dionis Platonem laudibus efferendi studium prae se fert et praecipue eas rationes spectat, quibus Plato cum Dione et Dionysio coniungebatur; qua de causa eum fonte usum esse concludit, „quo maxime necessitudines inter Platonem Syrucusanosque intercedentes exponebantur.“ Accuratius cuius modi illud scriptum fuerit nusquam exposuit; sed Academicum iam in familia Dionis Dionysiique describenda a Plutarcho adhibitum esse contendit (v. s. pg. 25) et postremam partem huius vitae ipsam quoque ex eodem fluxisse statuit pg. 58 sqq. Quae si ita sunt facere non possumus quin statuamus aut Dionis vitam aut Siculorum historiam scriptam ab eo esse, quoniam per totam Plutarcheam vitam Dionis inde a c. 3 usque ad finem adhibitus est. Iamiam eidem denuo difficultati Bachofium sese implicuisse vides: si enim mirum est quod Plutarchus in vita Dionis maxime necessitudines inter Platonem Syracusanosque intercedentes exponebat, nonne aeque mirum est quod Academicus idem

fecit in eiusdem modi scripto? An fortasse hoc minus mirum videtur, quia Academicorum sectae adscriptus erat? At Academicum nemo eum declaravit nisi Bachofius ideoque hoc fecit, quod tam accurate exponit necessitudines inter Platonem et Syracusanos.

Denique, sive Dionis vitam, sive Siculorum res gestas, sive aliud aliquod scriptum Academicus edidit, sine dubio ex Bachofii sententia hoc scriptum et locupletissimum et compluribus ex fontibus compositum erat, quoniam praeter epistolas Platonicas et eum scriptorem, quem Nepos adhibuit, sine dubio etiam aliis usus est fontibus eisque, qui non ab rerum scriptoribus originem duxerint (ut videmus ex Plut. c. 21); porro locupletissimum id fuisse inde cernimus, quod necessitudines quae inter Platonem Dionysiumque erant re vera largissime exponuntur: quod si tale nobis fingimus scriptum, nonne vehementer mirum esset, quod eius apud nullum eorum quos habemus antiquorum scriptorum ne minima quidem mentio fit? An hoc casu factum esse putemus, quod tantum et tam gratum graveque opus — quippe quod ad Platonis res vitamque pertineat — a nemine eorum commemoratur, qui aut de Platonis vita aut de universis Graecorum litteris retulerunt? Praesertim cum eius auctoris, cui insequentia sese debere ipse Plutarchus fatetur, Timonidis, qui de rebus a Dione in Sicilia gestis litteras ad Speusippum dedit (Plut. 35) mentionem habeamus (nempe ap. Diog. Aa. IV, 5, ubi falso *Σιμωνίδης* pro *Τιμωνίδης* legitur, nescio utrum ipsius Diogenis errore an librariorum incuria): nonne valde mirandum esset, quod tam exiguum minimeque grave scriptum non apud Plutarchum solum commemoratur, illud quod Bachofius statuit scriptum nusquam? Iam haec causa, ni fallor, satis obstat quominus in

Bachofii sententiam prius abeamus, quam ille probaverit alia eius scripti vestigia exstare; quod tamen quo modo effici possit prorsus nescio. Nam quod pg. 26 sq. ap. Diog. La. III, 14—16 huius fontis vestigium detegere conatur, nihili est, cum nec de nomine nec de indole eius quidquam inde eluceat. Praeterea, etsi quae de primo Platonis itinere ibi narrantur plerumque cum Plutarchi relatione congruant, tamen quae de altero tertioque itinere Diogenes memoriae prodit prorsus diversa sunt.

Hae igitur causae sunt quas contra Bachofium afferre possum easque satis graves firmasque esse contenderim, ut ab illius sententia discedamus. Nam primum vidimus longe veri dissimillimum esse Plutarchum in usum suum vertisse auctorem, qui Nepotis fontem cum epistolis Platonicis coniunxerit; deinde non minus veri dissimile esse hunc de quo agimus scriptorem epistolas Platonicas pro fonte adhibuisse; immo multo probabilius fieri eis quas enumeravi causis harum epistolarum scriptores ea, quae de necessitudinibus inter Platonem, Dionysium, Dionem referunt, quibuscum Plutarchi narratio ita tantummodo congruit, ut non ex ipsis epistolis fluxa esse possit, ex eodem hausisse fonte quem adhibuit Plutarchus. Quod si statuimus omnes eae difficultates, quibus implicamur si cum Bachofio facimus, prorsus evertuntur, ut iam supra breviter docui. Nam multo veri similius est epistolarum scriptorem vel scriptores discrepasse a fonte suo, quam illum scriptorem ab epistolis, cum isti non solum alio uterentur ordine, sed etiam non rerum scriptores sed rhetores habendi sint, quorum non tam interrerat ea referre, quae ad veritatem quam proxime accederent, quam ea, in quibus speciose dicendi facultas quam maxime cerni posset. Deinde hac sententia probata nullo modo mirum videtur, unde Plu-

tarchus illum locum (ep. XIII, 362 e) explanaverit, quem ex sola epistola intellegere non poterat: nimirum ex fonte illo, quo continebatur ista explicatio, quam omittebat epistolographus, cum ipsam rem epistolae suae insereret.

Sed haec omnia clarius collucebunt, si cuius generis et indolis hic fons fuerit ante oculos nobis posuerimus et quid de eo scire possimus viderimus. Et Bachofius quidem pg. 24 sqq. de hac re disserit ratus hunc auctorem non tam historicum quam philosophum fuisse, cum et Platonis res plus respiciantur quam exspectamus in legenda Dionis vita et Atheniensium urbs honorificentius commemoretur et praecipue eae efferantur Dionis laudes, quas ex philosophiae studio partas habebat: quae omnia probabilissima esse nemo negabit. Contra quod addit ex Diogenis Laertii libro aliquid de hoc fonte redundaturum fuisse, si ille III, 14 fontem suum nominasset, otiosum et inutile est, ut vidimus, cum ibi nec nomen exstet neque omnia apud Diogenem consonent cum Plutarchi verbis.

Attamen ex eodem scriptore aliquantulum lucis ad nostram quaestionem redundare putaverim, quamquam ex alio loco. Nam si reputamus Platonem in omnibus eis partibus, quas ex illo de quo agimus fonte fluxisse supra vidimus, primas partes agere omniaque eo pertinere, ut eae rationes exponantur, quibus cum Dionysio et Dione coniunctus fuerit, nec minus ut excusentur cum Plato tum Dio a criminationibus, quibus eos iam ab aequalibus affectos esse scimus — reputantibus igitur haec non dubium nobis videbitur, quin hic fons aut vitam Platonis aut laudationem vel apologiam vel utramque exhibuerit. Porro auctorem eum fuisse, qui vel ipsi Platoni vel eius discipulis amicitia et familiaritate coniunctus erat inde videmus, quod Plato ab eo dicitur epi-

stolam scripsisse *τὰ μὲν ἄλλα σαφῶς πᾶσιν; αὐτὸ δὲ τοῦτο μόνῳ γνώριμον ἐκείνῳ (Διονυσίῳ* sc.) *φράζουσαν, ὡς διαλεχθείη Δίωνι* etc., quae res ita explicanda est, ut aut ab ipso Platone aut ab intimis eius amicis discipulisque hoc audierit vel ex sermonibus, qui in Academia de magistro ferebantur, perceptum habuerit.

Quod si eius modi circumspicimus scriptum, in mentem nobis veniet libri a Diogene laudato, quod inscribitur *Πλάτωνος ἐγκώμιον* et altero loco (IV, 5) Speusippo, altero (III, 2) Clearcho attribuitur. Attamen cum illo quoque loco Speusippi scriptum laudetur, cui nomen est *Πλάτωνος περίδειπνον,* nullo modo dubium esse potest quin Speusippus alterum scripserit, sive hoc, sive illud eius nomen erat. Nam utrum sit disquirere hic longum est.

Ac vero posse hunc eum esse quem quaerimus dubium non est, cum in eis de quibus agimus partibus nulla res insit, quam Speusippo, Platonis affini, discipulo, amico attribuere nequeamus; sed esse hunc librum eum, minus audacter contenderim, cum nullum argumentum nisi hoc proferre possim: Diogenes laudat hoc scriptum in initio vitae Platonis (III, 2), in qua complura cum eis congruunt, quae apud Plutarchum et in epistolis legimus, non solum quae affert Bachofius pg. 27, sed etiam nonnulla alia, velut III, 3: chorum instruxisse Platonem Dione sumptus praebente (ubi laudatur Athenodorus *ἐν ὀγδόῳ περιπάτων,* quod cum constet Diogenem hausisse ex derivatis fontibus neque ipsos eos inspexisse auctores quos laudabat, nihil ad rem valet; vide Nietzschium, Mus. Rhen. XXIII et XXIV) coll. Plut. c. 17, et III, 20: Platonem cum Dione Olympiae convenisse, coll. ep. VII, 350 b. Unde statui potest haec ex eodem fonte fluxisse, qui supra commemoratur, ex Speusippi libro; et cum

concinant hae res cum Plutarcho et epistolis, argumentum quoddam ibi positum esse videtur, unde hausisse eos ex eodem fonte colligamus.

Qua sententia probata omnes eae difficultates, quae Bachofianae obstabant, evanescunt. Sed non solum ad Plutarchi fontem, sed etiam ad epistolas Platonicas aliquid lucis ex eis, quae disserui, redundare puto. Quas cum Platonis esse hodie nemo fere contendat, ea tamen superest controversia, utrum ab homine Platonis vel discipulorum eius familiari, qui aut ipsis interfuerit rebus aut ex eis, qui interfuerant, audierit, scriptae sint hae litterae, an prodierint ex rhetorum officinis, quibus omnes fere quas habemus virorum clarorum epistolas debemus. Nam mirum videbatur quod his scriptis, quamvis fucatum quaesitumque sermonem, qui adeo redolet rhetorum studia, exhibeant, tot res continentur, quibus Platonis Dionisque et res et consilia vel maxime in lucem proferuntur. Quarum sententiarum quinam hanc, qui illam receperint hic enumerare supersedeo, cum haec omnia accuratissime exponantur in primo capite libri Karstenii: „commentatio critica de Platonis quae feruntur epistolis, praecipue III, VII, VIII. Traj. ad Rh. 1864.“ Quae sententiae, cum utraque multum habeat quod commendet, nunc quo modo possint coniungi vidimus: dico si statuimus rhetores epistolarum, quaecunque ad Dionis et Dionysii res spectant, scriptores tali usos fuisse fonte, qualem deteximus. Huic igitur fonti certi illi nuntii de Platone et Dione originem debent, rhetoribus fucatus et quaesitus sermo. Quin etiam quo modo in conscribendis illis litteris egerint auctores, ex parte fingere nobis possumus; velut cum rhetor aliquis in illo libro legisset scripsisse Platonem Dioni superbiam solitudinis esse contubernalem, quartam quae fertur Platonis

epistolam composuit. Similiter is, qui XIIIam epistolam conscripsit illum locum legerat, quem servavit Plutarchus c. 21. Tertia autem et septima epistola ut eadem exhibent, eandem originem habent: nempe propositum erat ab artis rhetoricae magistro aliquo litteras conscribere secundum illum librum, qui Plutarchi erat fons, quibus contineretur excusatio Platonis erga criminationes adversariorum: quod alter ex discipulis ita instituit, ut Platonem ad Dionysium, alter ut eum ad Dionis cognatos et amicos scribentem fingeret.

Sed haec hactenus. Unum hoc addere velim, ne quidquam deesse videatur: cum ego statuerem scriptum quoddam de Platone, non de Dione esse fontem Plutarchi, eos locos in posteriore parte Dionis, quibus laudantur Platonicae epistolae (52 et 54) non ex illo scripto, sed ex ipsis epistolis originem duxisse crediderim. Nam fluxisse hanc posteriorem partem vitae Dionis ex illo libro quem statuit Bachofius (ut ille vult pg. 58 sqq.) eisdem quibus cetera causis veri dissimile est. Ergo et hos locos et fortasse etiam ex priore parte nonnullos ex ipsis epistolis manasse contenderim, velut c. 8 dictum illud, in quod c. 52 quoque incurrimus, scilicet ἡ αὐθάδεια ἐρημίᾳ ξύνοικος.

Vita.

Hermannus ego Henricus Otto Stoessell natus sum Ruegenwaldiae in Pomerania a. d. III. Kal. Dec. anno h. s. LI, patre Iulio, qui praepositi et pastoris primarii munere in patria urbe fungitur, matre Anna e gente Langheinrich, quibus adhuc superstitibus mirum quantum gaudeo. Literarum primordiis in patria urbe imbutus paschali tempore anni LXV gymnasium Stolpense frequentare coepi, quod Schützii v. ill. auspiciis tum florebat. Quod mense Aprili anni LXXII maturitatis testimonium adeptus reliqui, ut Lipsiam me verterem, ubi per unum annum docentes audivi v. ill. Curtius, Drobisch, Lipsius, Ritschl, Voigt, Zarncke. Post annum Gryphiswaldiam me contuli, ubi per quinquies sex menses interfui scholis, quas habuerunt viri ill. Hiller, Hirsch, Kiessling, Pernice, Schöll, Schuppe, Susemihl, Vogt, Wilmanns; seminarii philologi quod moderabantur v. ill. Kiessling, Schöll, Hiller per ter sex menses sodalis fui ordinarius; nec non interfui seminario historico Hirschio et Ulmanno, geographico Hirschio moderante; frequentare mihi licuit exercitationes Aristotelicas a Susemihlio, germanicas a Wilmannsio, dialecticas a Schuppio, didacticas a Kiesslingio, Schuppio, Wilmannsio institutas. Quibus omnibus viris optime de me meritis, imprimis Kiesslingio, gratias habeo vel maximas.



Sententiae controversae.

1. Geographicam doctrinam cum in superioribus tum in inferioribus gymnasii ordinibus maiori cum studio tractandam esse censeo.
2. Sallust. orat. Lep. 18 verbum „*iure*“ tollendum esse existimo.
3. Sallust. orat. Phil. 7 legendum esse puto: „quorum nemo *nisi* diurna mercede vitam mutaverit.“
4. Theophr. char. 4 (p. 126, 14 Pet.) „λίσπον“ pro „λυπρόν“ ponendum esse mihi videtur.
5. Theophr. char. 8 (p. 131, 20 Pet.) legendum esse censeo „κομμόν“ pro „ζωμόν“.
6. Dio iam priusquam exilio affectus est Carthaginiensium opera fretus id egisse mihi videtur, ut Dionysium regno privaret.